DE
C. SALLUSTII CRISPI
INGENIO ARTE RATIONEQUE DICENDI.
ACCEDIT
COMPARATIO CUM THUCYDIDE ET TACITO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS

EDIDIT

AUGUSTUS LAURECK

GROSSBURLONENSIS GUESTPHALORUM.

AHRWEILER

TYPIS EXPRESSIT PETRUS PLACHNER

MDCCCLXXIII.

MEMORIAE PARENTUM.

Si quis de C. Sallustio Crispo, quem rerum Romanarum florentissimum scriptorem Tacitus dicit, Ann. III., 30, commentationem scripturus est atque historicos, qui similes sunt, Thucydidem et Tacitum, cum eo comparare in animo habet, eum ad rem exornandam multa praefari necesse non esse puto. Nam quod ad gravitatem, utilitatem, jucunditatem attinet materiae, nescio an nemini opus optabilius tractandum occurrere possit.

Rem autem ita instituemus, ut in prima parte de C. Sallustii Crispi ingenio, arte, ratione dicendi loquamur, in altera, qui ad similitudinem eius accedant, comparemus auctores.

PARS PRIMA.

Caput I.

Sallustius vitae scriptorem habuit virum gravissimum atque diligentissimum Q. Asconium Pedianum; sed hoc libro in communi litterarum naufragio deperdito, ex variis veterum grammaticorum commentariis et posterioris temporis auctorum historiis sunt colligenda, quae ad eius vitam illustrandam pertinent.

Vita eius tota in illud tempus cadit, quo quamvis fines rei publicae proferrentur, tamen vires interiores, quibus vetus civitatis forma vigebat, emoriebantur. Natus enim 86 a. Chr. n. Amiterni in Sabinis vidit illa miserrima bella civilia, caedem civium, victorem Sullam atque post eius mortem Pompeii vim enascentem, qui bello et cum piratis et cum Mithridate rege fortiter gesto, ipse Caesari cedere coactus est.

Ubi his temporibus versatus sit, quando Romam profectus, quibus Graecarum Latinarumque litterarum doctoribus usus fuerit, incertum est, sed iam a pueritia artibus liberalibus eum operam dedisse, facile credideris, quum iuvenis admodum historiae scribendae consilium caperet. Cfr. praef. Cat. 4, Ep. ad Caes. 10. Mores

eius increpitantur in illa, quae vocatur Ciceronis declamatione in Sallustium; quam Ciceroni non esse tribuendam sed incerto rhetori satis constat. Quamquam igitur, quae ex ea comperimus, parvi aestimanda sunt, tamen Sallustii fama non optima fuisse videtur neque omnia factionum studio adscribenda esse. Ipse profitetur, Cat. 3, se una cum ceteris fama atque invidia premi, cuius rei causam solam in mala sua ambitione quaerendam esse, contendit; id quod minus ad verum accedit. Nam M. Terentii Varronis testimonio, quod Aul. Gellius 17, 18 servavit, adulterii cum Fausta, Milonis uxore, commissi accusatur.

Non multo postquam Caesar, Pompeius, Crassus foedus fecerunt, quaestura functus tribunus plebis electus est. Tum controversia inter Caesarem et Pompeium palam orta quum a Pompeii factione senatu motus esset, a Caesare non solum in pristinam dignitatem restitutus, sed etiam praetor factus est, qui quum eius opera in Africano bello usus esset, eum proconsulem Numidiae in provinciae formam redactae reliquit. Cfr. Auct. de bello Africano 97. In hac provincia administranda magnam pecuniam expressisse dicitur. Cfr. declamat. in Sull. 7. Num magnum quem concedebant leges modum excesserit, non satis compertum est neque, quamquam Romae repetundarum accusatus liberatus est, ex eo quidquam statui potest, quum nescias, utrum Caesaris gratiam an Sallustii integritatem iudices sint secuti. Ceterum tantas opes sibi collegerat, ut hortos pretiosissimos in Quirinali sitos et domum splendidissimam sibi pararet, quae postea ab Alarici militibus flammis deleta est.

Caesare interfecto quum novae perturbationes ortae essent, a publicis negotiis ad historiam scribendam

se convertit. Cuius quidem otii fructus habemus coniurationem Catilinariam, bellum Iugurthinum et historiarum pauca, quae aetatem tulerunt, fragmenta. Diem supremum obiit quadriennio ante Actiacum bellum.

His rebus praemissis ad eius ingenium diiudicandum promptiores sumus.

Vidimus, eum multum temporis nullo modo commune ingenium populi atque temporis egressum esse. Qua erat gloriae cupiditate in illum campum agebatur, ubi inde ab antiquissimo tempore Romanus sibi gloriam et honorem parare posset. Vitiorum illecebras quidem, ut fere omnes ceteri, non effugit, sed exitio ei non erant. Non solum tempus, ut se ab iis expedire posset, sed etiam ansa praebita est, quum cognosceret, quam malos fructus ex iis perciperet. Ad summos in re publica honores, quos petebat, ascendere non poterat et malae cupiditates ei invidiam et turpitudinis notam colligebant. Ita ut a via olim inita diverteret, non minus sua ipsius fortuna quam violenta morte magni fautoris extrema vitae parte commovebatur, et, quum de vice fortunarum humanarum, de civitatis conditione cogitaret, non solum historiae materiam, sed etiam modum materiae percipiendae invenit. Veterem rei publicae statum cum novo comparat, ostendens, unde morum pravitas exorta sit, quem finem spectet. Annis procedentibus ipse magis magisque morum honestatem amplexus est ita, ut mitius de eius priore vita iam sentiamus. Nam id potissimum in viris diiudicandis spectandum est, ad quam animi magnitudinem in senectute provecti sint, quum iuventus saepe levitati indulgeat. Ubique existit severus magister morum et ut homines a vitiis deterreat, summis viribus studet. Id quum minus aequalibus probaretur, Lenaeus

quidam Pompeii Magni libertus satiram acerbissimam in eum scripsit, cuius vestigia alii sequebantur.

Summo flagrans libertatis amore per totam vitam, ex quo ad rem publicam accessit, nobilium factioni adversatus est ac plebis causam, quam ab illis oppressam aegre ferebat, meliorem habuit. „*Il est démocrate et par conséquent avec les plébéiens contre les nobles*“ non iniuste animadvertit Dubois-Guchan pag. 305 *). Neque illud vocabulum „*démocrate*“ malo sensu intelligendum est, quasi fuerit unus ex illis, qui omnia miscere atque ex alieno incommodo suam petere occasionem concupiscant. Nam laudat interitum coniuratorum (Cat. 55) et dicit, vi regere patriam importunum esse. Iug. 3.

Praeterea magnus veritatis amor in eo inest, ut fides eius in dubium vocari non possit. Quod ad coniurationem Catilinae attinet, ipse plurima vidit, ut copiam veritatis ei fuisse satis constet. Quae cum latuerunt, ex gravissimis testibus cognoscere potuit et multa etiam in actis publicis litteris consignata et tot senatus magistratuumque edictis manifesta fuerunt. Multa etiam in Ciceronis orationibus invenit, quippe qui post consulatum vix unquam in senatu vel coram populo verba fecerit, quin de Catilinaria coniuratione dixerit. Quin etiam ex illius temporis more ut summi viri suam ipsi vitam narrarent et memoriae rerum gestarum consulerent, non solum Cicero de consulatus sui historia commentarios scripsit, sed ipsum Lucceium perpulit, ut laudum suarum praeconium memoriae proderet. Cfr. Epp. ad Att. 1, 18. Fam. 5, 12. Quum illi libri iam deperditi sint, ad iudicium de auctoris fide faciendum a posterioribus

*) Tacite et son siècle par E. P. Dubois-Guchan. Paris 1861.

scriptoribus sunt petenda testimonia, qui sunt Dio Cassius; Plutarchus in vitis Caesaris, Crassi, Catonis; Suetonius; Appianus; Asconius Pedianus, qui in commentariis ad Ciceronis orationes scriptis magna cum diligentia de rebus eo tempore gestis disseruit, ut ex iis multa cognoscantur, quorum vix ullum vestigium apud ceteros scriptores invenias. Horum auctorum scripta si cum Sallustii libro contuleris, eum veritatem secutum esse, apparebit. Quod autem nonnulla ab eo omittuntur vel leviter tanguntur, alius scriptor de eadem re aliter iudicat; quod alii explanatius atque uberius, alii pressius atque adstrictius dicendum esse putant. Quae in vulgus nota aut ita vulgaria erant, ut etiam alio tempore fieri posse viderentur, ea fere omittit; sed quae alicuius propria aut bona aut vitia sint, quae interiorem et reconditam hominum indolem aperiant, his in rebus explicandis laborem et studium consumit. At in Ciceronis laudibus celebrandis frigidus putatur et in verbis, quibus eius industriam in Catilina opprimendo significat c. 26 „neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant“ invenerunt aliquid obtrectationis. Sed societas, quam consul cum Fulvia illa muliere „stupri vetere consuetudine“, c. 23, satis descripta iniit, habet re vera nescio quid fastidii. Neque vitio ei vertendum est, quod Caesarem et Catonem ante illum laudavit, 53, 54, quorum animi robur non aequaret. Quare iudicium eius integrum et ab omni malevolentia fuisse liberum, haud negaveris, sed quod eorum mores ac studia erant dissimillima, facile fieri potuit, ut de Ciceronis rebus ieiunius exponeret.

Neque minus in belli Iugurthini historia scribenda et Historiis componendis eum veritatis studio ductum esse scimus. Non solum proconsul Numidiae complures

annos illis locis versabatur, ubi bellum illud gestum fuerat, sed etiam, qua erat diligentia optimos rerum auctores diligenter inspexit. Quod patet ex iudicio de Sisenna lato, qui de bello civili Sullano scripserat; quem quidem in Iug. XCV., 2 refert, „optume et diligentissume omnium Sullae res persecutum esse, sed addit, eum parum sibi libero ore locutum videri.“ Si aliorum libris utitur, religiose eos nominat et eas res quarum ipse certior non est factus, illis dicit praestandas. Cfr. Iug. XVII. Si quid auctoritatis ipsius verbis tribuendum est, de eius veritatis studio dubitari non poterit. Nam in Cat. IV. profitetur *„sibi a spe metu, rei publicae partibus animum liberum fuisse: igitur,“* inquit *„de Catilinae coniuratione quam verissume potero, paucis absolvam.“* In Historiarum prooemio Fr. I., 6, testatur *„non se divorsa parte in civilibus armis motum esse a vero.“* Quae igitur Cicero recte nominat historiae fundamenta, „ne quid falsi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis“, eadem sibi noster auctor proposuit.

Et ut nonnulla doctorum virorum testimonia huius rei addam, Sallustius auctor certissimus ab Hieronymo appellatur (de loc. Hebraicis cfr. Opp. T. III. pag. 202) et iisdem verbis Isidorus Origg. XIII., 21, utitur. Augustinus de Civ. Dei I., 5, „nobilitatae veritatis historicum“ et Ep. 5 ad Marcellinum „nobilissimum historicum“ eum vocat. Imo Martialis eum omnibus historicis Romanis praeferendum esse censet. Cfr. Lib. XIV., Epigr. CXCI.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus, Romana primus in historia.

Caput II.

Neque minus laudandus est mirifica illa compositionis arte, qua praeter Caesarem omnes, qui antecedebant, rerum auctores praecellit. Ante hos viros, Caesarem Sullustiumque dico, duo genera historicorum discernenda sunt. In primo genere invenies veros, quos dicunt, annalium scriptores, qui, nulla arte adhibita, res solas ex temporis ordine scribebant. Fontes erant alterius generis scriptoribus, qui coniungenda et conformanda materia aliquid digni, quod legeretur instituebant. Quum Romani cum Graecis congressi essent, animi vires, quae adhuc quasi dormiverant, exsuscitabantur, id quod Horatius pulchre significat versu:

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio. Epist. II., 1, 156.

Sed initio nonnulli tantum nobiles Romani Graeca lingua formati historiam tractabant et quam parvam legentium multitudinem exspectaverint, ex eo concludi potest, quod complures, ut Q. Fabius Pictor, Graece scribebant. M. Poetius Cato quum iudicaret, fore ut Graeca eruditione suorum civium robur evanesceret, iis obstitit et una cum Romanis virtutibus Romanae linguae speciem praebere contendit. Sed, qui erat eius priscus et horridus dicendi modus, in universum minorem apud populum auctoritatem consecutus est, quam apud doctis-

simos rerum scriptores, dico Sallustium et Tacitum, qui quamvis antiquitatis studio ducti sint, in calce libelli demonstrabitur.

Brevi antequam Sallustius opera sua edidit, Caesaris commentarii, primum historicum opus Romanorum politissima arte perfectum, in manibus populi erant. Quamquam igitur primi scriptoris gloria ei praecidebatur, tamen, etiamsi alia via, eandem magnitudinem consequi poterat. Nam Caesarem imitari non licuit, quum alio modo materia tractanda esset. Quare quum inter populares neminem invenisset dignum, quem sequeretur, ad Graecos se convertit, quorum unus Thucydides semper ei ante oculos versabatur.

Artem vero eius, si iudicare vis, primum inquirenda est inventio historica, quae cum ad totum argumentum spectat, tum ad singulas eius partes. Videndum est igitur iam in ipso argumento, ut et rem vere gestam contineat et sit tale, quod cognoscere plurimorum intersit; deinde vero singulae res ponderandae, gravissimae plenius exponendae, quae minoris momenti sunt, obiter commemorandae, scitu inutiles praetereundae. Quo pertinet etiam, ut narratio iustis limitibus circumscribatur, ideoque ubi convenit, et ordiatur et exeat. Nam is arti finis est propositus, ut singula quaeque in unum quasi corpus partibus suis commode pulchreque expressum colligat.

Haec omnia magnam partem pendent ex fine, quem sibi historicus proposuit. Quum Sallustio is esset finis, ut demonstraret, quomodo mores antiqui corrupti essent, quomodo civitas in discrimen vocata, eum optimas materias tractandas sibi sumpsisse, apparet. De Catilina iuvat, verba Gallici critici describere:

Quel formidable intérêt dans ce drame grandiose,

à part même la verve historique, morale, oratoire qui le distinguent et font de cette oeuvre comme une sorte d'airain de Corinthe! Quand je vois le Laocoon qu'un monstre étouffe, en même temps qu'il étreint et déchire les enfants que leur malheureux père voudrait défendre, j'y vois la saisissante image de Rome enlacée par Catilina: car rien n'y manque, ni les convulsions de la patrie, ni le monstre, ni les victimes. Dub. Guchan l. c. II. pag. 307.

Sallustius ipse dicit, se Catilinae facinus inprimis memorabile existimare „sceleris atque periculi novitate". Cat. IV. Neque minus recte censet, in bello Iugurthino divina et humana cuncta permixta esse. Iug. V. Cur autem in Historiis universas populi Romani res per duodecim annos (78—67) belli domique gestas illustrandas recte sibi sumpserit, non est difficile intellectu. Nullo enim unquam tempore post corroboratam Romanorum aetatem res publica maioribus domesticis atque externis laboravit periculis, quum tot tantique undique simul hostes ingruerent, ut imperium Romanum vix servari posse videretur. In Italia enim Sullae nobiliumque victoria. innumeris civium caedibus, proscriptionum asperitate, direptionibus divitum, eorum, penes quos vis erat insolentia oppressae partis tantopere exacerbati erant animi, tantum excitatum nobilitatis odium, ut ubi primum data esset occasio, summa vi iniuriam ulturi esse viderentur. Quare Lepido duce tumultum moverunt acerrimum, quo si vicissent, summa omnium rerum conversio maximaque calamitas esset consecuta. Tum Sertorius, vir ingentis animi acerrimusque Sullanarum partium adversarius, certamen contra optimates in Italia haud prospere susceptum ita in Hispaniam transtulit, ut gentibus bellico-

sissimis in societatem consilii tractis, summos belli duces per complures annos eluderet. Huic par ingenii magnitudine, fortitudine ac consiliorum audacia, opibus vero multo superior Mithridates, Ponti rex, tanto ardore bellum eo tempore cum Romanis gessit, ut nisi cum excidio imperii Romani bellum finiturus esse non videretur. Praeterea eodem tempore quo in Hispania cum Sertorio, in Macedonia et Thracia cum ferocissimis gentibus bellandum erat. His igitur bellis flagrantibus quum in urbe factiones de imperio dimicarent, dubium esse nemini poterat, quin status rei publicae in summum discrimen esset vocatus; unde uberrima materia historiae erat petenda.

Sed non solum idoneum argumentum elegit, sed etiam se praestitit narrandi artificem. Ut taceam de lucido ordine et apta argumentorum dispositione atque collocatione, fecit historiam, quam vocamus pragmaticam, quum non solum quid gestum sit et quomodo, sed etiam quibus de causis et occasionibus actum et quid inde effectum sit (Cicero de Orat. II., 18), explicet. Quare in eorum moribus illustrandis, qui ingenii viribus excellant, multus est. Nam illis temporibus turbulentis omnia paucorum hominum studio atque opera gerebantur, ita ut quae inirentur aut ad evertendam aut ad servandam rem publicam, ea paucorum hominum essent, quum ceteri gratia vel praemiis libertatem venalem haberent. Atque illos inducit loquentes; orationibus enim mores et ingenia hominum multo significantius exprimuntur, quam si res ab iis gestae narrantur. Neque scio an praeter Thucydidem hac in re nullus scriptor eius laudem aequaverit, quum nihil scriptum sit, quod vel a probabilitate vel ab indole dicentium abhorreat. Ut exempla addam,

quanta cum arte ingenium et mores Catilinae expressit, c. XX., cuius et versutiam, qua coniuratos ad „maxumum atque pulcherrumum facinus incipiendum“ movere studet, et furiosam temeritatem facile ex ipsis verbis cognoscas! Quare Quintiliani rationibus optime respondit, qui in Inst. orat. III., 8, scribit: *„Si quis inhonesta suadebit, meminerit, non suadere tanquam inhonesta, sed dandus est illis deformibus color idque etiam apud malos. Sic“* pergit *„Catilina apud Sallustium loquitur, ut rem sceleratissimam non malitia sed indignatione videatur audere.“* Neque minus in verbis Caesaris c. LI. fraudulentam mansuetudinem, in oratione Catonis LII. gravitatem atque constantiam invenias. Marii autem oratio Iug. LXXXV., ut verbis et sententiis a ceteris quam maxime differt, ita luculentissimum est documentum rabidae illius et iurgiosae facundiae, quae asperis eius moribus atrocitatique eius est aptissima, ita ut totum eius ingenium, si rem accuratius examinaverit, et in sententiarum ratione et in verborum delectu expressum esse, unusquisque facile concedat.

Sunt qui eum vituperent, quod memoriam rerum temporibus non accurate definierit. In universum temporum ratio satis habita est, sed factorum singulos dies notare, in qua obscura diligentia multi laudem quaerunt, supervacaneum esse censebat; praesertim quum id semper ageret, ut demonstraret, quomodo alia res ex alia manaret. Quare in rebus enarrandis Sallustius eam rationem tenuit, ut varia, de quibus egit, bella atque res domesticas non, ut mos fuit in annalibus, carptim per singulos annos digereret, sed ut res arte inter se cohaerentes continua narratione usque ad eum locum deduceret, ubi commode posset subsisti. Alio modo fieri

non potest, ut plana atque dilucida rerum gestarum imago lectoribus exhibeatur.

Necesse videtur, hoc loco de digressionibus loquamur, quae Sallustio obiiciuntur. Primum quidem brevis Romanae historiae adumbratio (Cat. VI.—XIV.) impugnatur, ut alieno loco interposita. Sed si spectas, quo consilio ductus auctor noster ad scribendum moveretur, scilicet ut demonstraret, quomodo civitas „ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma“ facta esset, nescio an illa narratio tibi probetur atque necessaria videatur.

Aliam digressionem vituperat Gerlachius expositionem de Africae situ et populis (Iug. XVII.—XX.). Digressionem, si vis, nomines, sed scias, eam esse suo loco aptissimam, neve in hac re longus sim, digressionem eius modi ubique evitari non possunt, sin aliter nusquam lacunam inesse velit auctor, qua, quominus lectores res undique comprehendant, impediantur. Recte Kritschius mecum iudicat in commentario ad Hist. III. 43: „Sallustius argumentum ita tractavit, ut in eo ordinando naturalem rerum ordinem sequeretur eumque digressionibus, quibus libenter et perquam perite utitur, non interrumperet, nisi, ubi res ipsa id vel flagitaret vel commendaret.“

Caput III.

De Sallustii ratione dicendi iam disserendum est, quam rem ita instituemus, ut ex ordine de eius studio antiquitatis, de stili varietate, brevitate loquamur.

Sallustium antiquorum verborum fuisse amantissimum et recentiorum etiam priscam significationem quam maxime esse secutum quum ex eius libris facile intelligitur, tum multorum iudiciis comprobari potest. Cfr. Prisc. XII., p. 261, ubi eius oratio cum Lucretii et Catonis comparatur. Neque id solum in verborum electione atque structura sed in ipsa scribendi consuetudine perspicitur. Ita invenitur semper superlativus in — *umus* desinens, ut *optumus,* Cat. II., 6, *maxumus,* Cat. IX., 1, *plurumus,* Cat. II., 2, *finitumus, fortissumus, infirmissumus, clarissumi, sceleratissumi, novissume, aegerrume, acerrume* etc. Cfr. Schneider de Elem. Lat. I. pag. 18. Praeterea — u — ex veterum usu ubique in gerundio et participio futuri passivi tertiae et quartae coniugationis scribit: *faciundo,* Iug. LXXXV., 36, *faciundum,* Iug. CXI., 1, *potiundi,* Iug. XXXVII., 4, *ementiundo,* Cat. IL., 1, *agundi,* Cat. XXI., 3, *dicundi,* Cat. LII., 1, *dicundo,* Iug. XXXII., 1. Itidem in singulis vocabulis: *legitumus,* Cat. XVIII., 3, *lacrumas,* Iug. LXXXII., 2, *lacrumans,* Iug. LXXXV., 5, *aestumo,* Cat. VIII., 2, *epistulam,* Hist. III., 36, *lubido,* Cat. XXVIII., 4. —

Littera — e — pro — i — est in pluribus compositis verbi „legere“: *neglegere,* Cat. X., 4, intellegitur Iug. CI., 1, *neglegentia* Cat. LII., 9.

Ad consonantes quod attinet, antiquam scribendi normam in eo secutus est, quod in pluribus vocabulis eas non geminavit. Non solum „*causa*“ scripsisse videtur, quamquam ubique „*caussa*“ restituit Dietschius, sed etiam „*oportunus*“ Cat. XXVII., 1. Sed in orthographia fluctuant valde et codices et editores. Quae varietas ex eo fluxit, quod ipsis veteribus, ut antiqua monumenta ostendunt, ambiguum fuit, utrum potius etymologiae ratio habenda esset, an euphoniae legibus auriumque iudicio obtemperandum. In verbis cum praepositionibus compositis plurimum tribuit etymologiae, scribens: *inposuistis* Iug. LXXXV., 28, *inportuosum* Iug. XVII., 5, *inprobior* Iug. XXXI., 28, *inpiger* Iug. XV., 4, *inrumperint* Cat. L., 2, *obpugnare* Iug. LVI., 1, *conloquio* Iug. XXXVIII., 9, *adlicere,* Iug. LXVI., 1. Ut tum pronuntiabantur, scripsit: *temptare* Cat. VI., 4, *secuntur* Iug. II., 1, *cotidie* Iug. XXXXV., 2, *expectare* Cat. XXXX., 3, *cotidiano* Cat. XXXXVIII., 2.

In declinationibus et coniugationibus minus a communi dicendi usu recedit. Nonnulla tamen notatu digna indicamus: Genitivus singularis verborum secundae declinationis in — *ius* et — *ium* exeuntium non duplex — i — habet: *ingeni* Cat. I., 3, *auxili* Cat. XXXI., 29, *fures aerari* Cat. LII., 12, *consili causam aperire* Cat. LVIII., 3. Genitivus pluralis tertiae declinationis verborum in — *as* exeuntium etiam in — *ium* desinit: *civitatium principibus* Cat. XXXX., 2. In nonnullis vocabulis quartae declinationis antiquam formam Genitivi in — i desinentis amat: *tumulti causa* Cat. LIX., 5,

senati decretum Cat. XXX., 3; XXXVI., 5. In quinta declinatione genitivum in — e fuisse contractum exemplo sunt: *die extremum* Iug. XXI., 2, *die vesper* LII., 3; XCVII., 3, *acie pars* Hist. I., 103 (edit Dietsch.), quae codicum auctoritate confirmantur et Gellii testimonio IX., 14: „Ego quoque in Iugurtha Sallustii summae fidei et reverendae vetustatis libro „die“ casu patrio inveni scriptum.“ Quod ad verba spectat, quaedam antiquitatis vestigia inveniuntur, quamquam multa huius modi iam veteres grammatici delevisse perhibentur. Praeter „*intellexi*“ alia forma perfecti legitur *intellegit* Iug. VI., 2, et *neglegisset* Iug. XL., 1. Aliae minus usitatae formae hae sunt: *quod quaesitur* Hist. IV., 61, 1, *quaesere* Hist. I., 117, *commeatu iuvaturam* Iug. XXXXVII., 2, *quemquam agnoturum.* Hist. II., 31 (edit Gerl.), *sibi abnuituros* Hist. I., 36, *Gabinium accersit* Cat. XXXX., 6, *calvi ratus* Hist. III., 78 (edit Kritsch. 96).

Praeterea nomina in — udo desinentia cum haberent quendam antiquitatis colorem, a Sallustio saepius usurpantur: „claritudo Iug. II., 4, necessitudo“ Cat. XVII., 2, LVIII., 11. Cfr. Aul. Gell. XV., 3: „in libris veterum vulgo reperias necessitudinem dici pro eo quod necessum est,“ et XVII., 2. „Nescio quid maioris dignitatis est verbum sanctitudo (scilicet quam sanctitas seu sanctimonia) sicuti M. Cato in L. Veturium duritudinem quam duritiem dicere gravius putavit.“ Sed sufficiant exempla ex eius libris ad rem allata, iam veterum iudicia adiciemus, quibus Sallustium antiquum dicendi genus affectasse comprobetur.

Augustus eum verba ex Originibus Catonis excerpsisse dixit (cfr. Sueton. Octav. c. LXXXVI.), et Asinius Pollio librum scripsit (cfr. Sueton. de claris grammaticis

X. et XV.), in quo Sallustii scripta reprehendit, ut nimia verborum affectatione oblita. Aulus Gellius (Noctt. Att. I., 15 et X., 20) eum „novatorem verborum et proprietatum retinentissimum“ dicit. Neque ob hunc antiquitatis amorem vituperandus est. In hac re dignus semper est, qui audiatur, Quintilianus: *Verba a vetustate repetita, non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi maiestatem aliquam non sine delectatione; nam et auctoritatem antiquitatis habent et, quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant.* Inst. Orat. I., 6, 39.

Stili varietas, ut hanc partem aggrediamur, ab optimis quibusque scriptoribus semper adhibetur, ne legentium animos iisdem ubique repetitis vel verbis vel sententiis onerent atque satietate quadam impleant. Quantum fuerit Sallustii variandae orationis studium, ex his exemplis abunde patebit: Singulae voces permutantur: *Secus* Hist. II., 23 (edit. Dietsch.), *sexus* Hist. IV., 53; *vocabulum* Cat. LII., 11, Hist. II., 2, *nomen* Cat. II., 1, VI., 6; *materia* Iug. XVIII., 5, *materies* Cat. X., 3, *plebis* Cat. XXXIII., 3, *plebei* Hist. III., 61, 15; *plebi* Iug. 88, 1, *plebei* Hist. I. 48, 14; saepius *quibus* et *quis*; *inermes* Iug. LIV., 10; *inermos* Iug. XCIV., 2, *haud* et *non*; *primum, dein* et *initio, deinde, deinceps*; *queo, nequeo* et *possum, non possum.* Saepissime in oppositis locutionibus varietas animadverti potest. Exempla dabo: *Ipsi pares — ceterum opibus disparibus* Iug. LII., 1; *incerta pro certis, bellum quam pacem malebant.* Cat. XVII., 6. *Ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset.* Iug. VII., 4. *Ut quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat.* Cat. LVI., 2. *Audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate seque remque publicam curabant.* Cat. IX., 3. *Alia praeterea magnifica pro se et*

illis dolentia Iug. LXXXIV., 1. *Censebant quam primum Adherbali subveniundum, de Iugurtha interim uti consuleretur.* Iug. XXV., 1. *Ubi videt, neque per vim neque insidiis opprimi posse hominem.* Iug. VII., 1.

Χιασμός qui dicitur, saepe invenitur: Cat. IX. „Concordia maxuma, minima avaritia erat.“ X. „Aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum.“

Adiectiva nonnulla modo activo. modo passivo sensu posita sunt: falsos fieri Cat. X., 5; active, ut alios per simulationem fallant; sensu passivo saepius. Magistratus *innoxii* Cat. XXXIX., 2, passiva vi, qui adeo securi sunt, ut iis noceri non possit. *Ignarus* passive pro incognitus usurpatur: Iug. XVIII., 6, *ignara lingua* LII., 4, *regio hostibus ignara* CIII., 6. — *Neque plane occultati et tamen incerti* Iug. IL., 5, ubi *incerti* passivo sensu de iis valet, qui quales sint cognosci vel accurate distingui non possunt.

Adiectivum a Sallustio pro adverbio positum esse his locis scias: Cat. XXV., 5. *Quae occulte tentaverat, aspera foedaque evenerant.* LII., 29. *Bene consulendo prospera omnia cedunt.* Iug. XXI., 1. *Iugurthae obvius procedit.* XXXVIII., 1, *subdolus eius augere amentiam.* IL., 1, *ipse propior montem suos collocat.* CI., 1, *citi sese ostendunt.* — Praeterea interdum adiectiva et verba duplici modo construuntur: Cat. XXXIII., 1. *Qui miseri plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus.* XXV., 2, *litteris, psallere saltare, multa alia docta.* Iug. LXXXIV., 2. *Plerosque militiae, paucos fama cognitos accire.* A verbo *„disserere“* Cat. V., 9, primo pendet accusativus obiecti, *instituta maiorum.* tum coniunctivus orationis obliquae (*„quomodo, quantam, ut“* particulis). Alia huius modi exempla sunt: Cat.

XXXIII., 1. *Deos hominesque testamur, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus.* Iug. I., 2. *Reputando neque maius aliud neque praestabilius invenias, magisque naturae industriam hominum quam vim aut tempus deesse.* Iug. LXV., 2. *Cui Metellus petenti, more regum ut sellam iuxta poneret, item postea custodiae causa turmam equitum, utrumque negaverat.*

In temporum quoque compositione summa varietas est (Conf. Cat. XX., 1; Iug. XII., 4; Iug. XXVI., 3; Iug. IL., 1), sed hanc nostram partem finituri monemus, ne quis Sallustii varias verborum structuras pro inani ornamento habeat, quum et in ipsis verbis et in eorum structura proprietatis sit studiosissimus easque formas elegerit, quae cogitatis optime conveniant.

Sallustiana brivitas, quae nunc tractanda est, nescio an neminem leviter tantum eius libros inspicientem effugere possit. Iam veteres eam certatim alius alio loco elegantius maximis laudibus celebrant. Aliis omissis Aulus Gellius Noctt. Att. III., 1, eum „*subtilissimum brevitatis artificem*" dicit. Quintilianus tribus locis: Inst. Rhet. X., 1. *Neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius.* IV., 1. *Vitanda illa Sallustiana, quamquam in ipso virtutis locum obtinet, brevitas et abruptum sermonis genus.* X., 1; eandem „*immortalem illam Sallustii velocitatem*" dicit. Huius virtutis origo ex ipso sriptoris ingenio petenda est. Quicunque severus, gravis est, ambages repudiat et semper brevitati studet; ineptiae mulierum sunt. Neque tamen breviloquentia sita est in secandis verbis, quae deesse non possint, sed in eo, ut res omnium

gravissimae apte premantur, iis sententiis omissis, quas facile unusquisque intelligat.

Quanta arte in his rebus Sallustius versatus sit, in adhibitis figuris zeugmate et ellipsi cognoscitur, quarum exempla nonnulla adscribam. Zeugma invenitur Cat. XVII., 2. *Ubi satis explorata sunt, quae voluit, in unum omnes convocat, quibus maxuma necessitudo et plurumum audaciae inerat* — ubi „*inerat*" non ad „*necessitudo*" referri potest, sed „*erat*" inde assumendum est. Iug. XIV., 4. *Cogor prius oneri quam usui esse* i. e. cogor prius oneri esse quam usui esse possum. XIV., 9. *Semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur* — i. e. ferro armati erimus XIV., 23. *Non enim regnum, sed fugam, exsilium, egestatem et omnis has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti.* Ad „*fuga, exsilium, egestas aerumnae*" facile adicere poteris verbum „liberare".

Quam late „ellipsis", quae ad augendam orationis brevitatem plurimum valet, apud Sallustium pateat, his exemplis demonstrabo: Saepe inter enuntiationes causali vinculo cohaerentes particula causalis omittitur, sententiis ita maiore quadam vi se excipientibus. Cat. VII., 5. *Igitur non locus ullus asper erat;* (nam) *virtus omnia domuerat.* XLIII., 4. *Natura vehemens, manu promptus erat; maxumum* (enim) *bonum in celeritate putabat.* Iug. XXXVIII., 2. *Aulum perpulit, ut in abditas regiones sese veluti cedentem insequeretur;* (nam) ita delicta occultiora fore (dixit). — Aliis locis particulae adversativae desunt. Cat. XXXV., 2. Quam ob rem defensionem in novo consilio non statui parare: (sed) satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi. Cat. 58, 13. Licuit vobis cum summa turpitudine in exsilio

aetatem agere, potuistis nonnulli Romae, amissis bonis, alienas opes exspectare; *(sed)* quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis. I. 85, 38. Maiores eorum omnia quae licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui praeclaram; *(sed)* virtutem non reliquere, neque poterant; *(quia)* ea sola neque datur dono neque accipitur.

Particula „si" omittitur: Iug. LXIV., 5, *Dimidia pars exercitus sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum i. e. si dimidia* — cfr. Zumpt Lat. Gramm. § 780. Ante „nam" saepius sententia ad quam referatur, negligitur Iug. 19, 2, Postea Phoenices Hipponem Hadrumetum, Leptim aliasque urbes in ora maritima condidere, haeque brevi multum auctae, pars originibus suis praesidio, aliae decori fuere. Nam de Carthagine tacere melius puto . . . ubi facile suppletur: Carthaginem consulto non nominavi, nam. Cfr. Cat. 52, 34; Iug. 28, 5; 31, 2.

Huc pertinet Sallustio maxime usurpatum „Asyndeton," quum particulas vel copulandi vel explicandi omittat. Cat. XI., 2. *Gloriam, honorem, imperium bonus ignavus aeque sibi exoptant.* Iug. 2, 3. Animus incorruptus, aeternus, rector humani generis agit atque habet omnia. Iug. 60, 6. Lapides, ignem, alia praeterea tela ingerunt. Iug. 62, 1. Omnibus proeliis sese victos, agrum vastatum multos mortales captos aut occisos, regni opes comminutas esse. — Quae exempla ad brevitatem Sallustianae dictionis illustrandam sufficiant. Sed qua arte eam adhibuerit, ex eo colligas, quod, ubi res postulat, ne verbositatem quidem fugiat. Cuius haec sint exempla: Cat. IV., 1. Non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere. Cat. XI., 2. Dolis atque fal-

laciis contendit. Cat. XIV., 2. *Quicunque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene bona patria laceraverat, praeterea omnes parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis aut pro factis iudicium timentes, postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, ii Catilinae proxumi familiaresque erant.* Vides quam verbosum noster scriptor se praestet in illa hominis perditissimi describenda societate. Sed haec hactenus; iam transeamus ad alteram operis partem, ut qui similes sunt historicos cum Sallustio comparemus, scilicet Thucydidem et Tacitum.

PARS ALTERA.

Inter Sallustium, Thucydidem Tacitumque, quos iure antiquitatis scriptorum lumina dixeris, coniunctio quaedam constat, quum Sallustius Thucydidem, Tacitus utrumque imitatus sit. Sed ut statuamus quo iure inter se conferantur, quem ordinem in Sallustio adhibuimus, eundem in Thucydide et Tacito retinentes de utriusque ingenio, arte, ratione dicendi deinceps loquemur.

Caput I.

Ad ingenium quod spectat, apud eos idem veritatis studium invenitur. Thucydides enim, hoc sibi consilium fuisse affirmat, ut non, quae e quolibet audivisset, neque prout ipse de iis iudicasset sed quibus ipse interfuisset et quae ex aliis comperta post accuratam disquisitionem vera esse intellexisset, ea consignaret. In orationibus dicit sententias et ipsa verba eorum, qui locuti essent, quam accuratissime expressa esse. Neque facile se veritatem invenire potuisse, quum qui rebus interfuissent, non eadem de iis traderent, sed sicut quisque eorum recordaretur vel etiam alterutri factioni faveret. Praeterea lectores monet, ne quis vulgi sermonibus vel poetis nimium

tribuat, quum populus in veritate quaerenda minus diligens sit, vetera admiretur et fabulis delectetur, poetae vero omnia maiora et splendidiora reddant. Cfr. I., 21, 22. Quem ab ira et studio factionum alienum fuisse, non solum, prooemium eius indicat, ubi rectius quam ceteri de antiquissimo Graecorum statu disputat, sed maxime ille locus, quo suum ipsius exsilium narrat, quod nulla in quemquam accusatione addita, breviter tantum tangit. Praeterea iudicii acumine, variarum rerum cognitione, liberaliore quodam sensu adiutus nec impensae nec labori pepercit, ut iis qui antiquitatis studium amplecterentur opus suum utilissimum faceret. Quare recte Cicero in Bruto c. 83 cum „rerum gestarum pronunciatorem sincerum" appellat et Dionysius Halicarnassensis, cuius testimonium hic eo maioris momenti est, quo acriorem adversarium Thucydidis alias se exhibet. *Μαρτυρεῖται τῷ ἀνδρί,* inquit pag. 824, *τάχα μὲν ὑπὸ πάντων φιλοσόφων τε καὶ ῥητόρων, εἰ δὲ μή, τῶν γε πλείστων, ὅτι τῆς ἀληθείας — πλείστην ἐποιήσατο πρόνοιαν, οὔτε προστιθεὶς τοῖς πράγμασιν οὐδέν, ὃ μὴ δίκαιον οὔτε ἀφαιρῶν οὐδὲ ἐνεξουσιάζων τῇ γραφῇ.*

Neque aliter de Tacito iudicandum erit, cuius fides quum ipse non aeque ac Thucydides ea, quae memoriae prodidit, magna ex parte viderit, in diiudicandis fontibus posita est, quibus ita usus est, ut, si quid ei incertum atque ambiguum videtur, candide id profiteri nunquam omittat (cfr. Germ. II., 3, 33), si a fontibus discedit, eos tamen religiose inducat. Ann. IV., 57. In Ann. XI., 27 asseverat, nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus se traditurum esse, et Hist. I., 3, incorruptam fidem professis neque amore quemquam et sine odio dicendum esse, et Ann. I., se

sine ira et studio, quorum causas procul habeat, res narraturum esse. Tacitum ad scribendam historiam omnes quos posset fontes adiisse satis apparet. Ipse dicit, se res maioris momenti ab aliis neglectas libris antiquorum scriptorum diligenter perlustratis memoriae servavisse. Tiberii regnum ipse noverat atque ex hominibus senioribus, qui rebus interfuerant, multa audire poterat. Ne dictis documentum desit, nonnulla ipsius verba notabo: *„Id ego, a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae.“* Ann. IV., 53. *Neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa pericula .... Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.* VI., 7. *Quae plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt retuli.* IV., 57. — In moribus iudicandis se praebet ut Sallustius severum imprimis in Historicis (cfr. I., 42, II., 95), quum provecta aetas eum in Annalibus magis indulgentem redderet. Quo erat patriae amore de optima civitatis forma saepe cogitavit. Neque in hac re a Sallustii partibus stat neque stare poterat, quum comperisset, quantopere mores ultimis rei publicae tempestatibus depravati essent. *„Cunctas nationes et urbes,* inquit Ann. IV., 33, *populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex iis et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel, si evenit haud diuturna esse potest.“* Quare sententiam illam praeclaram Homeri

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

Il. II., 204,

in suam convertit neque quidquam optabilius esse ostendit, quam bonum principem. (Hist. I., 16.) Sed monet eum, ne in civitate ordinanda immodicum se praebeat, quum homines nec totam servitutem pati possint nec

totam libertatem. Atque hoc consilium sequitur, ut principes ad huius modi moderatum imperium adducat et cives commoveat, ut in ea re principem quam optume adiuvent.

Sed quum de ingenio pro finibus libelli satis dictum esse censeam, ad alteram partem transibo, qua arte uterque usus sit.

Caput II.

Utrumque ut Sallustium dignum argumentum historiae elegisse non est quod multis verbis ostendam, quum neminem recentioris temporis esse credam, qui id neget. Attamen, mirabile dictu, Dionysius iudicat, bellum a Thucydide descriptum silentio et oblivioni tradendum fuisse. Eam enim causam, qua Thucydides recte ad scribendum incitabatur, quum bellum Peloponnesiacum gravissimum fore putaret, nihili aestimat.

De ordinanda materia id statim animadvertendum est, Thucydidem more Sallustii longius prooemium (c. 1—23) suo operi praemisisse neque Tacitum prologos neglexisse; sed in temporum ratione adhibita Sallustius utrumque superavit. Thucydides et Tacitus enim annalium scriptores secuti sunt, a quibus prior eo tamen differt, quod unumquemque annum denuo dissecat in duas partes, aestatem atque hiemem. Quae divisio ex ipsa bellorum, qualia tunc erant natura petenda est. Tunc enim sola fere aestate pugnabatur, hieme autem plerumque quiescebat bellum et sequentis aestatis expeditiones praeparabantur, saepe etiam de pace agebatur. Tacitus ipse dicit, sibi historiam ex singulis annis tra-

ctare in animo esse. Ann. IV., 71. *Ni mihi destinatum foret, suum quaeque in annum referre, avebat animus anteire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius ceterique flagitii eius repertores habuere.* Quae ratio scribendi a veteribus semper servata nostris temporibus recte insolita est, quum ea saepe ab una re ad aliam ducamur, antequam illa ad exitum perducta sit. Quod quum probe Tacitus intelligeret, singulis locis, ne prorsus narrationem dissecaret, plures annos coniunxit, (VI., 38, XII., 40, XIII., 9) eodem modo, quo Thucydidis narratio posterioribus belli annis magis continua est (lib. VI., VII.). Inprimis libros non ex annorum initiis, sed ex magnis casibus distribuit, quare id consecutus est, ut singuli libri quasi tota corpora efficiant, quibus perlectis legentium animi commode requiescere possint.

Etiamsi igitur in externa librorum forma inter nostros scriptores discrimen interest, tamen in fine historiae, quem petunt, non discedunt. Eadem accurata descriptio causarum rerum earumque eventus, ingenii populorum, virorum illustrium et totius aevi, unde pragmatica fit historia. Rebus honestissimis summum studium impendunt, ut Sallustius in Caesare atque Catone, ita Thucydides in Pericle et Brasida, Tacitus in Thrasea atque Helvidio moratur. Sed quod spectat ad obiectivitatem quam dicunt, haud scio an Thucydides maxime suos ipsius sensus retinuerit. Quam parce eos aperuerit, nonnullis exemplis ostendere conabimur: Fine exposito Pausaniae Themistoclisque, quorum alter in templo, cuius aditus ephori lapidibus clauserant, alter in exsilio mortuus est, nihil addit, nisi: *Τὰ μὲν κατὰ Παυσανίαν τὸν Λακεδαιμόνιον καὶ Θεμιστοκλέα τὸν Ἀθηναῖον λαμπροτάτους*

γενομένους τῶν καθ' ἑαυτοὺς Ἑλλήνων, οὕτως ἐτελεύτησεν. I., 138, 7. — Quum Thraces Mycallessum, urbem Boeotiae, expugnassent, non solum aedificia et templa spoliaverunt et exhauserunt, sed etiam quos invenerunt viros, senes mulieres trucidaverunt; quin etiam pueros schola inclusos iugulaverunt. Quid dicit Thucydides de tali tamque misera clade? Audias quaeso: *Καὶ ξυμφορὰ τῇ πόλει πάσῃ οὐδεμιᾶς ἥσσων μᾶλλον ἑτέρας ἀδόκητός τε ἔπεσεν αὕτη καὶ δεινή.* VII., 29.

Quum Hermis detruncatis Athenienses ita inflammati essent, ut indicio unius viri complures, nulla quaestione habita, necarentur, *Κἂν τούτῳ*, inquit, *οἱ μὲν παθόντες ἄδηλον ἦν, εἰ ἀδίκως ἐτετιμώρηντο, ἡ μέντοι ἄλλη πόλις ἐν τῷ παρόντι περιφανῶς ὠφέλητο.* VI., 60. Atque post illam miserrimam expeditionem Atheniensium in Siciliam, *κατὰ πάντα*, inquit, *πάντως νικηθέντες καὶ οὐδὲν ὀλίγον ἐς οὐδὲν κακοπαθήσαντες πανωλεθρίᾳ δὴ τὸ λεγόμενον καὶ πεζὸς καὶ νῆες καὶ οὐδὲν ὅτι οὐκ ἀπώλετο καὶ ὀλίγοι ἀπὸ πολλῶν ἐπ' οἴκου ἀπενόστησαν. ταῦτα μὲν τὰ περὶ Σικελίαν γενόμενα.* VII., 87. Nulla alia doloris verba, nulla alia lamentatio! Non puto Sallustium et Tacitum, quamquam id quod difficillimum est retinuerunt, laudis et vituperationis modum, eodem modo sensus suos reprimere potuisse.

Quum in ceteris partibus, quae ad artem spectant, congruant atque quae de Sallustio dicta sunt, omnia etiam in Thucydidem et Tacitum quadrent, ne repetitionibus lectorem fatigemus, ad rationem dicendi nos convertimus.

Caput III.

Sallustium ad Thucydidis laudes accessisse gravissimi auctores statuerunt. Velleius Paterculus II., 36 eum „aemulum Thucydidis“ dicit, quam sententiam amplexus est Quintilianus: Inst. Rhetor. X., 1. *At non historia cesserit Graecis nec Thucydidi opponere Sallustium verear.* Quae similitudo non solum in tota orationis indole, sed etiam in sententiis ipsis a Sallustio e Thucydide translatis cernitur. Sed omnino cavendum est, ne temere ad Graecam structuram referas, quae ex Romanorum usu et cogitandi ratione facillime explicari possint. Praeterea etiam aliis Graecis scriptoribus imprimis oratoribus Sallustium nonnulla debere constat, cuius rei unum exemplum idque clarissimum adscribam. Apud Sallustium Cato orationem suam ita incipit: Longe mihi alia mens est, patres conscripti, cum res atque pericula nostra considero et cum sententias nonnullorum mecum ipse reputo etc. 52, 2. Idem fere est Demosthenis Or. olynth. 3, initium: *Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἀκούω.* Sed hac re omissa statim quaedam Thucydidis variatae structurae et brevitatis exempla laudabo:

Numeri casus, genera nominum variata sunt. II., 81. *Εἰ μὴ λόγοις πείθοιεν, ἔργῳ πειρῷντο τοῦ τείχους.* I., 73. *Ὧν ἀκοαὶ μᾶλλον λόγων μάρτυρες ἢ ὄψις τῶν ἀκουσομένων.* VI., 35. *Τῶν Συρακουσίων ὁ δῆμος ἐν πολλῇ πρὸς ἀλλήλους ἔριδι ἦσαν, οἱ μέν, ὡς οὐδενὶ ἂν τρόπῳ ἔλθοιεν οἱ Ἀθηναῖοι, οὐδ᾽ ἀληθῆ ἐστιν, ἃ λέγει· τοῖς δέ, εἰ καὶ ἔλθοιεν, τί ἂν δράσειαν αὐτούς, ὅ τι οὐκ*

ἂν μεῖζον ἀντιπάθοιεν. Cfr. VI., 24. Post *πόλεις, τριήρεις*, quatenus incolae, nautae cogitantur, masculinum reperitur. Cfr. I., 7, I., 100. Eodem modo Sallustius transit a civitate ad cives, a plebe ad plebeios. Cfr. Cat. V., 31.

In verborum modis summa varietas quum non solum transeat indicativus in optativum, coniunctivum atque invicem, sed etiam et infinitivus in indicativum et participium in verbum finitum. Cfr. II., 80, VIII., 50, IV., 92, VIII., 76, I., 75. Quod ad tempora spectat, praesens in imperfectum, aoristum, futurum transit. Cfr. VII., 44, II., 69, II., 44. Neque Thucydides evitavit usum adverbiorum pro adiectivis cum verbis *εἶναι* et *γίγνεσθαι*, etsi ea verba copulae sunt. Invenies non solum in adverbiis, e quibus adiectiva derivari non possint (cfr. Matth. Gr. pag. 427 et 889) ut *δίχα, χωρίς*, sed etiam IV., 10, *ῥαδίως* ita adhibuit. Ita Sallustius: Cat. XXI., 1. Mala abunde omnia erant. Iug. XIV., 11. Ubivis tutius quam in meo regno essem. Atque Tacitus Ann. I., 72: Facta arguebantur, dicta impune erant. — Praepositiones saepe mutantur. I., 38. ***Οὔτε πρὸς τοὺς ἄλλους, οὔτε ἐς ἡμᾶς τοιοίδε εἰσι.*** I., 1. ***Οὔτε κατά τε τὸν πόλεμον οὔτε ἐς τὰ ἄλλα.***

Brevitatem Thucydidi propriam esse veteres critici atque grammatici satis animadverterunt. Iuvat, ceteris omissis Ciceronis et Quintiliani iudicia laudare, quorum prior ita loquitur: de Orat. II., 13. *Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile vicit, qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur.* Cap. XXII., *eundem appellat subtilem, acutum, brevem et ob eam causam interdum subobscurum.*

Quintilianus denique X., 1: *Densus et brevis et semper sibi instans Thucydides.* — Haec brevitas non solum in singulis vocabulis, sed etiam totis enunciationibus conspicua est: I., 91. *Τειχίζεταί τε καὶ ἤδη ὕψος λαμβάνει,* ubi ex *τειχίζεται* facile suppletur *τὸ τεῖχος.* I., 144. *Τούτοις ἀποκρινάμενοι ἀποπέμψωμεν* (*αὐτούς*). VI., 79. *Ὅταν ὑπ᾽ ἄλλων, καὶ μὴ αὐτοὶ τοὺς πέλας ἀδικῶσι.* Supple ad priorem partem *ἀδικῶνται* ex activo *ἀδικῶσι.* Pertinet huc suppressio articuli, quam interdum ibi deprehendas, ubi ex vernaculi sermonis atque aliorum Graecorum scriptorum consuetudine non exspectetur, exempli gratia, sicubi adiectivum pro substantivo positum articulo caret. Cfr. IV., 31. Ante particulam *γάρ* omittitur enunciatio, quo spectat. Sallustium eodem modo „nam" adhibere supra commemoratum est. In formula *εἰ μὲν — εἰδὲ μή* saepe deest prioris membri apodosis. III., 3, *ἐςηγγέλθη, ἐλπίδα εἶναι ἐπειχθέντας ἐπιπεσεῖν ἄφνω, καὶ ἢν μὲν ξυμβῇ ἡ πεῖρα, — εἰ δὲ μὴ Μυτιληναίοις εἰπεῖν;* ad prius membrum facile mente adicias *καλῶς ἔχειν.* His exemplis — nam plura laudare longum est — satis perspicuum fit, Thucydidem in breviloquentia cum Sallustio certare, quam litem secundum Sallustium dat Seneca: *„Cum sit praecipua in Thucydide virtus brevitas, hac eum Sallustius vicit et in suis eum castris cecidit. Nam in sententia Graeca tam brevi habes, quae salvo sensu detrahas; at ex Sallustii sententia nihil demi sine detrimento sensus potest.* Excerpt. Contr. IX., 2.

Quae similitudo augetur et enunciationibus et sententiis a Sallustio e Thucydide translatis: Cfr. Cat. 41, 1. Iug. 46, 8. *In incerto habuere,* Thucyd. I., 25, *ἐν ἀπόρῳ εἴχοντο;* Iug. 73, 5. *In maius celebrare.* Thucyd. I., 10, 4, *ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμῆσαι;* Iug. 48, 1,

multus instare, Thucyd. IV., 21, πολὺς ἐνέκειτο. Cat. VI., 5. *Magis dandis quam accipiundis beneficiis amicitias parabant.* Ita Pericles apud Thucyd. II., 40, 4. *Οὐ γάρ, inquit, πάσχοντες εὖ ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους.* Cfr. porro Sall. Cat. III., 2 et Thucyd. II., 35, 2; Iug. IL., 3 et Thucyd. II., 12; Cat. LII., 11 et Thucyd. III., 82; Cat. XXXVIII., 3 et Thucyd. III., 82. Sed iam tempus est ad Tacitum redire, cuius ratio scribendi aeque similis est Sallustianae.

Quo tempore Tacitus ad scribendum animum appulit, certabatur inter eos, qui vulgarem et corruptam scribendi rationem servare et qui novam induere studebant. Nam quum post Augusti aetatem in dies homines languescerent novisque incitamentis corpora voluptatibus iam satiata irritari necesse esset, Ciceronis praeclara dictio nimis ieiuna et illepida videbatur. Quare colore poetico pedestri sermoni illato quum in loco periodorum brevis sententiarum forma posita esset, verba ita torquebantur et tornabantur, ut aliquid novi atque inauditi exsisteret. Quod corruptum genus dicendi Nerone imperante a Seneca ad summum fastigium provectum est. Sed Vespasianus praecipuus adstricti moris auctor, vir antiquo cultu victuque (Ann. III., 55, 4) mores corrigere contendit, quae contentio, in dialogo de oratoribus illustrata etiam vim habebat ad litteras. In illo libello, sexto anno imperii Vespasiani composito, stili renovandi patrocinium susceperunt Iulius Secundus, Vipstanus Messala, Secundus Maternus, clarissimi illius temporis viri, quorum priorem aequalem et amicum suum nominat Quintilianus. Hic vir quum „corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contenderet“ X., 1, 25, Senecam qui tum solus fere in manibus

adolescentium erat, impugnavit. Ipse rediit ad Ciceronem, ad cuius voluptates nihil addi posse iudicat, sed ne toga crassa esset, tempori dans, retinuit sententias quas laudat, dum rem contineant et copia non redundent. XII., 10, 46. Tacitus initio eum secutus est, cuius rei pulcherrimum documentum exstat dialogus ille de oratoribus, ubi totum splendorem Ciceronianae dictionis invenias. Sed ut erat hic stilus hilaris et amoenus, ita severo eius ingenio non respondit. Quare postero tempore ad illud dicendi genus, a Thucydide, a Sallustio excultum se convertit; quod dicitur τὸ σεμνόν atque in grandi, magnifica, severa oratione invenitur. Quum esset magno humanitatis sensu praeditus ad narrationem exornandam potissimum adhibuit colorem poeticum, qua in re poetae Augusti tempestatis eum adiuvabant, qui Sallustio deerant.

Usum autem priscorum verborum Sallustius magis amat quam Tacitus. Verba peregrina et externa, etiamsi iam pridem civitatem Romanam acceperant, quam maxime Tacitus repudiavit neque verbis quotidianis texit orationem, sed circumscriptionibus et quasi ambagibus utitur, quo fit, ut mens ad rem significatam inveniendam cogatur et repetitiones evitentur. In variandis et singulis vocibus et integris constructionibus ac periodis omnino praeeunte Sallustio plurimum studii collocavit. Singulae voces ut ab illo permutantur, et quam multa verba habeat ad unam rem significandam, laudabo exemplum: Verbum simplex „mori“ nusquam habet, sed pro eo Ann. I., 3, defungi, extingui, vita concedere, morte auferri; VI., 27 obire; IV., 38 concedere; II., 75 excedere; II., 24 oppetere; II., 71 fato concedere; II., 83 mortem obire; II., 40 finem vitae implere; VI., 10 fato

obire; VI., 50 finire, mortalitatem explere; III., 76 supremum diem explere; V., 8 vitam finire. — In verborum casibus et temporibus eadem stili varietas; Ann. XII., 29 subsidio victis et terrorem adversus victores; XV., 53 animi validus et corpore ingens; Hist. I., 53, corpore ingens, animi immodicus. — Ann. III., 20 in una sententia praesens historicum, infinitivus historicus atque perfectum coniunguntur: *Eodem anno Tacfarinas, quem pulsum a Camillo memoravi, bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus et ob pernicitatem inultis, dein vicos excindere, trahere graves praedas; postremo haud procul Pagyda flumine cohortem Romanam circumsedit.*

Ob orationis concisam brevitatem Sallustium et Tacitum conferendos esse facile concedas; neque puto, Tacitum in ulla re diligentiorem fuisse. Sententiae gravissimae apte premuntur, unicuique vocabulo quam plurimum tribuitur, talia verba et compositiones eliguntur, quibus totae sententiae interpositae compensantur, ut substantiva verbalia, participia, figurae orationem contrahentes, quarum zeugma summa audacia adhibet. Exemplum est Ann. I., 35: *Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant,* i. e. ne morte opprimi in iisdem laboribus pateretur, sed finem — permitteret, orabant. Cfr. Madvigii Gramm. § 479, d. — Cum brevitate cohaeret velocitas, quam auget maxime usurpatum asyndeton et omissae particulae, sed quamvis magnos gressus faciat, tamen ne eum currere dicas. Quum structura orationis paullum interrumpatur, in ea inest quaedam conspicua

simplicitas et ea vis, qua nescio an superaverit antecessores, lectores secum trahens. Sed quod nonnullos hexametros sibi indulsit, valde vituperatur ut Ann. I., 1. *Urbem Romam a principio reges habuere*, XV., 9 *subiectis campis magna specie volitabant;* G. 39, *auguriis patrum et prisca formidine sacram.* Idem vero Sallustio acciderat: Cat. XIX., 5. *Cnei Pompei veteres fidosque clientis.* Veteres huius modi versus pedestri orationi illatos condemnabant (Cic. de orat. III., 47, 182; Quint. IX., 4, 72) itaque ne in vitiis quidem dissimiles sunt Sallustius et Tacitus, nisi forte, quod iudicium de T. Livio Quintilianus l. c. tulit, idem in utroque adhibere vis: *T. Livius hexametri exordio coepit: „Facturus ne operae pretium sim.“ Nam ita edidit, estque melius, quam quo modo emendatur.*